



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Suspensio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

quod degradatus per iudicem ecclesiasticum, tradatur Curiae seculari, vide Diaz in *pract. crim. canon. c. 20. c. clerici, de excess. pralat. c. flagitia, 32. qu. 7.*

SUSPENSIO.

Primò, quia interdum quis suspenditur ab officio, aliquando à divinis, quæritur, quid intelligitur per suspensionem ab officio, & quid à divinis? Respondetur, quoad primum, quod suspensio ab officio includit suspensionem ab omnibus actibus peculiaribus ordinum, & jurisdictionis, unde non potest sic suspensus exercere actum aliquem ordinis, nec jurisdictionem, vel prædicare, vel legere: suspensus verò à divinis includit solum actus peculiare ordinum, & sic prædicando, legendo, exercendo jurisdictionem, non incurrit irregularitatem, sicut in primo casu, ubi exercendo actus convenientes ordini solum, fit irregularis, Cov. in *c. alma mater, 2. parte, §. 2. num. 4. c. responso, de sent. excom. Nav. consi. 58. 60. & 63. de sent. excom. Sylvest. in ver. suspensio, §. 5. ver. si verò, Diaz in *pract. crim. canon. c. 122. & Covar in c. alma mater, 2. p. §. 2. loc. cit. suspensus à beneficio quid importet, vide in 3. p. eod. ver. suspensus simpliciter quid importet, vide ibidem, ubi importat suspensionem ordinum, Genin. in *c. 1. §. eos, notab. 3. de temp. ord. lib. 3.***

Secundò, si quis incidit in irregularitatem, & postea dispensetur secum per Datarium, tamen imposita ei suspensione magna ab ordinum executione, an Episcopus possit eum absol-

vere à dicta magna & longa suspensione. Navar. *consi. 16. nu. 2. de temp. ord.* dicit quod non, ego verò dicerem, quod sic, stante causa, prout dixi in *ver. Penitentia*, quia magis & minus non variant speciem.

SPONSUS.

SI duo contrahunt matrimonium per verba de presenti, & ante copulam alter illorum ingrediatur monasterium, seu religionem, altero invito, quantum temporis tenetur ipsum expectare, remanens in saeculo? Respondetur in *cap. ex publico de convers. conjug. per duos menses, vel alias arbitrarium, cap. commissum, de sponsal. Extravag. anti. concertat. Jo 22:* tamen de jure novissimo sac. Conc. Trid. *sess. 25. cap. 15. de refor. reg.* debet expectare usque ad professionem expressam, quæ fit elapso anno integro, Navar. *consi. 1. de convers. conjug. & ita practicavi Surrenti*, quamvis elapso anno uxor exiverit à monasterio, & vir etiam à sua religione, & sic in saeculo permanserunt usque ad mortem, de anno 1584. & ratio est, quia si remanens in saeculo expectatis duobus mensibus, vel antequam alter ingressus religionem profiteatur expressè nubat secundo, si ille exierit à religione, quid? ergo expectare potest professionem expressam.

SPOLIUM.

Quia subcollectores, seu Commissarii spoliorum solent aliquando ponere manus in ea, quæ de jure non sub-